Oxford

Musarum Oxoniensium

PRO

REGE SVO

SOTERIA.

Anagramma.

CAROLVS BRITONVM REX.
Tu Rex Librum Coronas.

Symbola sunt Almæ Matris *Liber*, atq; *Corona*:
Iam verum est, *Librum Tu* (*Rex* Invicte) Coronas.

OXONIÆ
Excudebant *I.L.W.T.* An. Dom. 1633.7

BODLEIAN
11 10 1815
LIBRARY

Carmen Propempticon

AD REGEM.

Isidis ad ſacras cum ingrato murmure ripas
Intonuit morbi conſcia Fama Tui:
Quàm ferè decubuit tota enthea turba ſororum,
Et ſana è Muſis vix fuit vna Novem.
Te languente etenim facile eſt odiſſe ſalutem,
Atq; in delitijs annumerare Luem;
Te languente Mori qui nollet, Proditor eſſet,
Plebeio poteras ſanguine ſi redimi.
Hoc vidit Fama, & ſtupuit, Tonitruq; ſecundo
Cœlum implet, terris & meliora ſonat.
Vita redit miſeris mox, Ingeniumq; Poetis,
Clinicus è lecto & ſurgit Apollo ſuo.
Hinc faciles pro Rege litant ΣΩΤΗΡΙΑ Muſæ,
Et Prælum fervet Carmine, & Ara Prece.

AD AVGVSTISSIMVM PAR CAROLVM, & MARIAM.

Eleonora Edwardi Primi Vxor.

*FAma est Hispanam * de vulnere conjugis, ore*
Admoto, roseisq; labris suxisse venenum:
Non, Regina, Fides minor est Tua, Principis ægros
Irruis in Thalamos, et Te miscere Periclo
Non piget, atq; omnem CAROLI *sentire dolorem.*
Illa Animæ tempsit spolium, Tu prodiga Vultûs:
Vultûs, qui poterat CAROLVM *sanasse vel ægrum.*
Qualis sponsa, Tui quam non retraxerit Oris
Fœmineus Timor, aut invisi Purpura morbi:
Quin malis spondere genas, vultumq; paciſci,
Atq; Tuæ damno Faciem spectare Mariti.

BRIANVS DVPPA Academiæ Vicecan: & Eccles. Chr. Decan:

CVm tergum invasit, cùm tanta modestia morbi,
Atq; timent aliâ fata venire viâ:
Da veniam, Cæsar, si morbo gratulor isti,
Qui tacitò numen sentit adesse tuum.
Nè metuas posthac graviora pericula, quandò
Fit morbus supplex & medicina tibi.

Paulus Vicecomes BAYNING
de Sudebury.

VNo in Rege pio quot munera dividat orbi,
Incolumem dum seruat, opes, Ius, Iustitiamq;,
Privatasq; domos, pacemq;, & commoda Belli
Omnipotens solus qui noverat, aspicit ægrè
Ingratos animos populi, crimenq; pudendum;
Scilicet en sibi tantorum seges ista laborum
Dum scelerum ingeminant artes periuria, fraudes?
Quem male præsentem meruerunt hactenus, ipsum
Amissum quærent, iterumq; iterumq; vocabunt.
At non tam diræ placuit sententia pœnæ,
Nam vindex scelerum Pater haud crudelia novit;
Ast Regi immittit Morbum, quo crimina nobis
Exprobret, & jubeat tam fœda abrumpere cœpta;
Iamq; licet casus omnes dilcamus in vno,
Insequitur terrorq;, & plurima Mortis imago;
Inde sequetur Amor postquam Plebs libera curis
Discit in Illius propriam sentire salutem;
Iamq; Simul Regemq; poli, *Carolumq;* diebus
Festis ac votis celebrant (cælestia dona)
Per quos certa salus: illinc æterna jubemur,

Hinc terras ſperare: novas componimus Aras,
Nec CAROLO Chriſtus junctos invidit honores.

Ad Reginam.

O quam te memorem vitæ quæ prodiga vitam
Et Regi & nobis protrahis atq; Tibi!
Sic partu Carolum, ſpes dulces, Alma, dediſti,
Sic curis nobis reſtituis CAROLVM.

Nos Regina Tibi fauſta & longæva precamur
Dum petimus votis CAROLE viue diu.
Vivetis, veſtroſq; nihil diſiunget Amores,
Vna quod amborum corpora vita regat.

A. FREWEN *Præſidens Col. Magd. & Decanus Glouceſt.*

ÆGro languemus, revalente reſurgimus omnes,
Regem & nos omnes ſpiritus vnus agit.
Sint pater & Chriſtus benedicti in ſecula cuncta,
Te ſalvatorem vitaq; morſq; canant.

R. KETTLE *Præſidens Col. S. Trinitatis.*

FInge omnem populum communi Clade peremptũ,
Vix morbum CAROLI mors ea dira valet.
Rex caput & columen populi eſt, & ſpiritus oris;
Efflet, & efflatu commoriuntur eo.
Regis, Reginæ; prolis, procerumq; Salutem,
Et plebis, CAROLO ſoſpite, dum canimus

Laudemus

Laudemus Dominum. Pluvias ſpectacula, noctem
Manè, Salus morbum vita necem pepulit.

S. *Radeclif Col. Æn. Naſ. Prin.*

De Sereniſſimo Rege CAROLO, convaleſcente *ad Feſtum Nativitatis Chriſti.*

LAnguebat regnum hoc: Atlas en ipſe laborat:
Rex valet, & ſubitò reddita vtriq; ſalus.
Noſq; duplex feſtum, læti celebramus in vno,
Natales Regni, qui fuerant Domini.
Exornato epulas lautè, ſtrue largiùs ignes,
Et pulſato ſolum liberiore pede.
Vt Populo geminata ſalus, ſic bina recurrant
Feſta; hecatombæum, corda, animaſq; litet.
Proq; ſalute Sui Regis, nova gaudia carpat:
Proq; Suis nato Rege Salutis, ouet.

Ad eundem.

Infælix nimis, & fatalis regibus annus,
Occubuit belli fulmen *Guſtavus* in armis,
Peſte *Palatinus*. Tu morbi carperis igne,
Et ſimul ire paras, nec mors tua fædera rumpit.
Sed populi pietas, vicêre & publica vota.
Ergone concuſſis bellorum turbine terris;
Purpureoq; fluens, ſinuoſus gurgite Rhenus;
Tota cadaveribus *Germania* ſparſa cruentis,
Iam laſſata armis, nondum ſatiata quieſcit.
Quis niſi *Pacifici* genus, Orbi reddere pacem
Poſſit? Quis Marti Mortiq; imponere legem?

Audit

Audit vota Deus. Viveſq; ait, Optime Regum
CAROLE, viue diu; belli medius mora; pacis
Arbiter, vt Gentes compoſtæ pace triumphent.

S. FELL *Profeſſor Margaret. Sereniſſimo Regi* CAROLO *à Sacris.*

ORa, manus, *vari*, Pectus, ſtomachumq;, pedeſq;,
Cerebrumq; fauceſq; occupant.
Morbum ergo varis non vnum ſoſpes in vnis
Evaſit, iö, CAROLVS.
Ter quinq; olim ægro, morbus licet vnicus eſſet,
Sunt additi anni Ezechiæ.
Vari ergo quot erant, toties ter quinq; tibi anni
Adduntur, iö, CAROLE.

Flos homo; flos hominum Rex, ἐξανθήματα Regis,
Cernis enim vt roſeus crevit in ore decor?
Æquora ſic æſtus purgat, ſic aera ventus,
Sic fæces vinum ponit, amurcam oleum.
Qui decus, & vires præſtet, ſeramq; ſenectam,
Non morbus Regi, ſed medicina fuit.

R. PINK *Cuſtos Col. Nov.*

LÆtus eram, & dolui te (gaudia noſtra) dolores
Perpeſſum inſolitos, abſq; dolore meo.
Quòd tum lætus eras, mihi cũ gravis anſa dolendi,
Tranſijt hic meus in gaudia ſumma dolor

Vt

Vt doleam, vt triſtis fiam, Rex optime, lætus,
Te lætante modò, triſtia quæq; feram.

T. I. *S.T.D.* C.C.C. *Præſes.*

COnvaluit Cæſar: quid ni nos vivimus? omnis
Noſtra ſalus Cæſar, nos vetat ille mori.
Cædibus, & luctu, mundus ſentire ruinam
Cùm tremat; & regum funere mœſtus eat:
Non niſi finitimos ſentimus corde dolores;
Dum liceat Domini, carpere delicias.
O nos fælices quibus hæc Deus otia fecit,
Orbis cum totus ſoluitur in lachrymas.

PAVL HOOD *S.T.D. Rect. Col. Lincol.*

VT venit, perijt morbus; ferit ille fugitq;:
Quòd nil damnoſæ fœcis habet CAROLVS.
In Regem haud ſæuit, morbus cupit ipſe revelli,
Cùm vix in toto corpore mica mali.
Si fueris æger vis vt deferueat æſtus?
Regis ad exemplum fac tibi temperiem.

R. GARDYNER *S.T.D. Eccl. Chr. Can.*

REX CAROLVS ſalvus dat gaudia publica, lætam
Materiam calamis, pectoribuſq; piis.
Rex ſalvus radios lætos diffundit Hybernis,
Cambris, & Scotis, Angligeniſq; ſuis.
Gallus, Germanus, vicinia tota triumphat;

Nescia Gens CAROLI est nulla, sed omnis amans.
Rex CAROLVS salvus recreat, minuitq; dolores,
Suecica Terra, tuos, Terra Bohema, tuos.
Rex CAROLVS propiùs nobis est vita, salusq;
Spiritus hinc noster, lux, calor, atq; vigor.
Temperies *Regi* firma est, mens integra; morbus,
Qui multos vicit, vincere non potuit.
Rex CAROLVS salvus medicos docet, & docet ægros;
Quid præstent corpus, mens moderata, boni.
Sit CAROLVS longùm salvus, cum *Conjuge* dulci,
Dulcibus & *Natis*; servulus ipse precor.

T. CLAYTON *Med. Prof. Reg. Coll. Pemb. Mag.*

LEx suprema Salus populi, Populiq; salutem
Constituit summi Principis una salus.
Ergo ubi præterito sæui discrimine morbi
Et Rex supremus, Lexq; suprema valet:
Cultorem Regis Legisq;, exolvere par est,
Pro Patriâ, & patriæ pro Patre, vota Deo.

R. ZOUCH *Iur. Civ. Prof. Reg.*

ANte novam CAROLI repetit mea Musa salutem:
Quàm morbum in planctus traxerat illa suos.
Flet Regem doluisse *Dolor*; placidumq; querenti
Sudorem illachrymans, membra refracta levat.
Sic sibi cura, labor cessit, *morbusq;* necandi
Prodigus, obstupuit; nec memor ipse sui.
Qui mortem in vulgus spargit, nunc mitius vltrò

Induit

Induit ingenium : quemq; petebat, amat.
Parce tuis Aris, nil (Phœbe) adscribo medenti:
Non vacat antidotus enumerare tuas;
Quippe suâ CAROLVS valuit virtute : salusq;
In pretium vitæ labe carentis erat.
Non is flammatas exarsit sævus in iras:
Nec tulit accensa bile tumere jecur.
Multa brevi; Haud Regum CAROLO moderatior alte:
Non sibi, nec populo, justior vllus erat.
Dicere difficile est, morbus quid fecerit illic:
Mens vbi non patitur pura latere malum.

Ecce novum sanxit fœdus tua splendida Conjux:
Et ruit in sortem (CAROLE) prona tuam.
Hæc mihi forma placet, placet hic color inquit; & vnâ
Instruit amplexus (morte minante) suos.
Sic tibi qui semper charus, nunc tempore duro
Cognitus est, sponsæ non minuendus amor.

I. SPEED *Med. D. è Coll. Di Ioan. Bapt.*

Μέλπεο, Μοῦσα θεὰ, μήπω ἐπιτύμβιον ᾠδήν,
Μήτε κλέος στάμνου, τὸ δὲ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.
Μήτε ἐφαρμόζῃς τὰ καθάρματα, μηδέποτ' εὐχαῖς
Εκφλογόῃς τὸ θυτήρι, ὁ γὰρ γέρας ἐστὶ νοσούντων.
Ἀλλ' ἄγε μοι ξυνάειδε πλάνην Ἑκατηβελέταο,
Ὃν διὰ εἰλίγγον τὴν ἕοι πὴρ ἐφήμερος ὁρμή·
Ὃς γὰρ ἀβούλως κῆλον ὄθων, ΚΑΡΟΛΟΝ τε πατάξας,
Ὤετο μὲν βροτὸν, οὐ θειαρῶν δὲ ἄνακτα Βρετάννων.
Αὐτὰρ ἐπειδὴ ἴδῃ παλινοστήσαντας ὀϊστούς,
Ἵστατο θαμβώσας, φλογερήν τ' ἀπέβαλλε φαρέτρην.

§§ 2 Ægrotum

Ægrotum aut reducem CAROLVM jam ſiſte ſtupere
Muſa tuum: facinuſq; canas, quo Vejouis amens,
Aut Deus Arcitenens, exhauſtâ penè pharetrâ,
Aggrediens, hominem ſenſit; non armipotentûm
Mauortem Anglorum: ſed quùm ſua viderit arma
Torta, retorta retrò, ſic tela minantia telis,
Obſtupuit; Patremq; obliquo lumine ſpectans,
Dic, ait, anne etiam retinent ſua numina Terræ?

ARTH. ANNESLEY *Franciſci Baronis de Monte-Norricio fil: nat: max: è Col: Mag.*

CÆſaris occubuit facies, nox nulla ſequuta eſt;
Non eſt quòd jactes Atropos occidua;
Occubuit? fallor: ſiſtebat noſter Apollo,
Hinc tu, Phœbe, tuum diſcito Solſtitium.

ROB. ANNESLEY *Franciſci Baronis de Monte-Norricio fil. nat. ſecund: è Coll: Mag:*

DVm facilè immundus per agros graſſatur & vrbẽ,
Atq; in plebeio ſanguine morbus ouat,
Impuro tentat penetralia Cæſaris auſu:
Non nihil obſeſſo in Cæſare laudis erit.
Immunde errâſti: Fœx nulla in ſanguine Regis;
Materiem maculis non dabit ille tuis.

TH. WALKER *Magiſt: Coll: Vniverſ:*

Credi-

CRedimus esse deos, Tua vita salusq; redempta
Absoluit superos, Cæsar, pariterq; dabantur
Vita Tibi, mundoq; dies, ne terra laboret
Solstitio vlteriùs brumæ. Non quærere refert,
Quomodò *bellatur* Suedus? *vivatne?* perire
Viliùs hic possit quàm Tu languescere. Cumq;
Cura deûm, populiq; salus sis sola, fatemur
Nos plusquam esse situ divisos orbe Britannos.

R. CHAVVORTH *Procurator Sen.*

VIcimus, & major, quàm si diteſcat opimis
Rex noster spoliis, vita triumphus erit.
Ne properes cineres Gustaui visere sacros,
Non sunt invidiâ hæc, CAROLE, digna Tuâ.
Non sibi, sed populo majestas publica nata est;
Audax quisq; nimis Te moriente mori.
Ampliat ætatem regni præsentia regis;
CAROLE, vive tuo tempore, vive meo.

I. MEREDITH *Procurat. Iun: e Coll: Omn: Anim.*

INgemuit nuper concussa Britannia, & ipsa
Nutare excelsum vrbs regia visa caput.
Horremus, dubjiq; metu cognoscere causam,
Contigerit tantus, quærimus, vnde tremor?
In promptu est: subiti præceps juvenile pericli
Rex columen Britonum CAROLVS inciderat.
Ille, salus rerum, morbo (heu!) correptus acuto
Triste laborabat: Nunc tamen (euge!) valet.

Nempe Deo cordi eſt, Deus adfuit, illius vnâ
Fretus ope evicit Rex, pepulitq; malum.
Hâc fruere æternùm Rex invictiſſime, Noſq;
Per te fœlici pace fruamur. *Amen.*

D. W. *A.C.P.*

QVæ retulit Tycho, ſuper anno præſcius iſto,
Formidanda ſuis, quà patuere, locis,
Credideram invicto deberi cuncta *Süeco*,
Seq; in Teutonicâ continuiſſe plagâ.
Sed fallor, magis eſt, & adhuc, mirabilis annus;
Accedit morbus, CAROLE Magne, tuus.
Anglia decubuit, non CAROLVS vnus, in illo
Anglia, Vaticinans hoc quoq; Tycho videt.
Sed Deus auxilio reſpexit nos inopino,
Et ſubitò medicas attulit ipſe Manus.
I, replica annales, & dic mihi, quiſquis es, æger
Num ſenſit parilem quis releuatus, opem.

I. ROVS *Acad: Oxon: Biblioth.*

VIdimus vt populi quæ vexat corpora labes,
Vaneſcit, tactu preſſa ſalutifero,
Quidq; chariſma tuum potuit, digituſq; Machaon,
Dum fugiunt ſolas vlcera fœda manus:
At nunc quando ſuos Auguſta cuticula morbos
Contrahit, & ſedet in carne medente lues,
Quænam, ibi naſcentes quæ ſoluit dextra tumores
Altior? vnde tibi eſt, CAROLE, rex alius?

O

O ſimilem de nube manum, quæ pectora mulcens
Appendit collo cæca amuleta tuo.
Quin longùm hanc diviſam habeas Tu cum Iove dotem,
Tu populi medicus ſemper, & ille Tui.

T. LOCKEY *A.M. ex æde Chr.*

Moſt Gracious Sr;

Now that you are recouer'd, and are ſeene
Neither to fright the Ladies, nor the Queene;
That you to Chappell come, and take the ayre,
Makes that a verſe, which was before my prayer.
For, Sr, as we had loſt you, or your fate,
Not ſickneſſe, had beene told vs, All of late
So truely mourn'd, that we did only lacke
One to begin, and put vs All in blacke.
The Court, as quite diſſolu'd, did ſadly tell,
White-hall was only where the King is well.
Nor grieu'd the Citty leſſe, the Commons eyes,
Free as their loyall hearts, wept ſubſidies.
And in this publique woe ſome went ſo farre
To thinke the danger did deſerue a ſtarre.
Which thought it were ſo ſhort, as but to ſhow,
You would, like one of vs, a ſickneſſe knowe,
And that you could be mortall; and to proue
By triall of their griefe, your ſubiects loue,
Would keepe your bed, or chamber, yet our feare
Made that ſhort time we ſaw you not, a yeare;
So did we reckon minutes, and to gaine
Your quick recouery, ſtriu'd to ſhare your paine.

Nay

Nay ſuch an intereſt had we in your health,
That in you ſickend Church and Common wealth.
Alaſſe to miſſe you, was enough to bring
In Anarchie, but that your life was King
More then your ſcepter, and though you refrain'd
To come among vs, yet your Actions raign'd.
They were our patterne ſtill, and we from thence
Did, in your abſence, chuſe our rule and Prince,
And liu'd by your example, which will ſtay
And gouerne here, when you are turn'd to clay.
For what is he, that euer heard, or ſaw
Your converſation, and not thought it Law?
Such a cleare temper, of ſo wiſe, and ſweet
A Maieſtie, where Power and Goodneſſe meet
In iuſt proportion; ſuch religious care
To practice what you bid; As if to weare
The Crowne, or Robe, were not enough to free
The Prince from that which ſubiects ought to be.
Laſtly, (for all your graces to rehearſe
Is fitter for a ſtory, then my verſe)
Such a high reverence doe your vertues win,
They teach without, and gouerne vs within,
And ſo enlarge your Kingdomes, when they ſee
Our mindes, more then our bodies, bend the knee.
For though before you we ſtand only bare,
Theſe make the Preſence to be every where.

IASPER MAYNE *M. A. ex Æde Chr.*

NOn colitur noſtris, ſerpens Epidaurius, aris,—
Nec facimus Clario, ſacra nefanda Deo.
Pro Rege incolumi, ſummo, Soteria, Regi,
Et canimus vero, jubila grata, Deo.
Iubila quanta forent, populus ſi totus ab vno
Convaleat morbo, jubila tanta ſonent.
Scilicet hoc factum eſt: Populuſq; hic quantus vbiq; eſt,
Cum CAROLO jacuit, cum *Caroloq́* valet.
Dulces deliciæ *Caroliq́* orbiſq;, *Maria*,
Cum CAROLO jacuit, cum *Caroloq́* valet:
Chara Deo ſoboles, quâ nos *Caroluſq́* beati,
Cum CAROLO jacuit, cùm *Caroloq́* valet.
Utraq; nobilitas, CAROLO cui ſplendor ab vno,
Cum CAROLO jacuit, cum *Caroloq́* valet:
Ordo ſacer Cleri, CAROLI pia cura deiq;,
Cum CAROLO jacuit, cum *Caroloq́* valet:
Plebs quoq; ſub CAROLI, florens & libera, regno,
Cum CAROLO jacuit, cum *Caroloq́* valet:
At Muſis, CAROLI morbus, gentiq; togatæ
Non morbus, verùm mors inopina fuit:
Ad famam ſtupuêre omnes, vt fulmine tacti,—
Et ſubito paſſim diriguere gelu:
Muſarumq; domus, & cœlis æmula templa,
Nutârunt tanto contremefacta metu:
Non ſecus ac cæcis luctans exire cavernis—
Ignea vis, terræ pondera vaſta quatit.
Nec timor hic vanus: Namq; hoc Atlante cadente,—
Quis, cælum hoc noſtrum qui ferat, alter erit?
Sed noua nunc rerum facies: Myſtæq; Deæq;
Templaq; cum CAROLO ſtantq; valentq; ſuo.

Et ſua nunc horrore pio depulſa pericla
Narrent: Fundentes cantica feſta Deo:
Illa bono certè, non reſpondentia, tanto,
Grata tamen CAROLO cantica, grata Deo.
Et ſua victuris dùm mandant gaudia chartis,
Vnam addunt, vno pectore & ore, precem:
Summe pater ſerva CAROLVM, noſtramq; ſalutem
Servabis: Regno fata dat ille ſuo.

G. C. *A. M.* C. T.

SIc parvâ totus tabulâ depingitur Orbis,
Atq; latent maculis oppida magna ſuis,
Vt noſtræ breviter referunt compendia Muſæ,
Quæ fundit populus, CAROLE, vota, tuus;
Cui ſatis in lachrimas fuerant Mendacia morbi,
Regis & ægroti Fabula pondus habet.
At nunc luctus abeſt; & læto carmine, dextræ
Oſcula conamur figere noſtra tuæ.

G. HVGHES *ex Æde Chri.*

SIgæo qualis viſa eſt in littore Virtus
Ad *Telamoniadæ* tumulum, quà Divitis *Helles*
Sæpe fretum pulſat terras, coëuntibus vndis,
Heu! magnum *Heröem* deflens, diſciſſa capillos;
Talis *Cymodoce* reflui propè *Thameſis* vndas
(*Nymphis Cymodoce*, atq; alijs prælata puellis)
Indignos caſus lugebat, & omnia fatis
Mœſta querebatur ſubiecta: Haud Sceptra Potentum

Has

Has vitare vices, Magnorum aut Numina Regum.
Indignata Deos mortalia tangere, & ipſos
Morborum vires nec poſſe avertere Reges.
Dumq; ſuo metuit DOMINO, crebraſq; refundit
Et lachrymas, gemituſq;, aderat pulcherrima *Näis*,
Niſa aderat, *Niſa* ante alias pulcherrima *Nymphas*,
Talibus & longum cæpit lenire dolorem.
Quid fles *Cymodoce*? Remanent immota tuorum
Fata tibi, & reſtant *Ditis* nunc irrita vota.
Aſtitit ipſe pater *Phabus* mihi nube ſerenâ:
Ipſa, inquam, vidi, (nam me quoq; *Phœbus* amavit)
Antraq; non ſolito tremuerunt igne coruſca;
Et *Superis*, dixit, curæ tua carmina, *Niſa*,
Votaq; nec vanas tetigerunt vocibus aures:
Namq;, Pater Divûm Cœlo cùm deſuper alto
Tot Reges vno nuper cœu funere condi
Viderat, & junctis concuſſum viribus Orbem;
Vt neq; jam *Rhenus* vires divoluat aquarum,
Conſiſtatq; ſuis obſtructus *Moſula* ripis;
Subter aquas galeæq; & ſcuta, & denſa virûm vis;
Vos Caput hoc, inquit, terris fatale regendis
Stamina quæ trahitis vitæ, ſervate Sorores:
Ille Suis tandem pacabit Viribus Orbem
Auxilium & feſſis rebus feret. Ille Deorum
Accipiet vitam, & victo dominabitur Orbi.
Tum lævùm intonuit Cœlo, Dextrâq; rubente
Concuſſit Terras, magnum & tremefecit *Olympum*.
Ipſæ etiam Diuæ fatalia temina nentes
Aſſenſere *Iovi*, (poſſunt tamen omnia Fata)
Et produxerunt longis ſua ſtamina filis.

Cymodoce ſolata abijt, repetitq; choreas
Nympharum æquales, & nota revertitur Antra:
Seruatoq; canunt Regi ΣΩΤΗΡΙΑ *Nymphæ.*

G. BVRTONVS *LL. L. ex Aulâ Glouceſtrienſi.*

QVonàm dira lues? Nec plebis feruida turba,
Nec ferrata cohors Equitũ, Procerumvè ſenatus,
Nec ſacrum Veneris conclave, ſcholæuè *Minervæ*
Sufficiunt odijs? num ſolus (ἐκεῖνο θέοιο
Ἠμίτομον) CAROLVS par victima? cui quota noſtri
Solueret annorum vectigal, vt ille triumphum
De fatis ageret, poſtremæ neſcius vrnæ!
Hunc petit atra lues, ſed non vt læderet; aſtra,
Et radios, gemmaſq; ſuas, innoxia honores
Cenſet, non pœnas; in τιμὴν cedere poſſe,
Non τίμημα putat; quin jam decepta pudore
Attonito tumidum velat caput, inq; piamen
Erroris ſceleriſq;, novos accenderet ignes
Phœbus, & æternis Solem ſubmergeret vndis,
Quo ſpectante ſcelus tantum commiſerat, orat.
Annuit, & toties per criſpa volumina cœli
Clam volitans, quoties volitare ſoleret, vt anni
Efficeret ſpacium, pronâ pietate novatas
Inflammat tædas, alio nec fine Decembrem
Nunc ſequitur Ianus, lapſum niſi vt expiet annum.

E. D: Col. *Mag. Soc.*

VIrtutem incolumem nemo penè æſtimat, omnes
In pretio, abſceſſum cum minitatur, habent.
Pacificus, juſtus, prudens & relligioſus
Qua nti ſit Princeps, ſola pericla docent.
Puſtula parua poteſt, potuit quod peſtis & enſis,
Et quod non potuit, gratia magna Dei eſt.
Inteſtini hoſtes regem obſidione premebant,
Sed Cuſtos vigilat, portaq; clauſa fuit.
Ecce jacent hoſtes pedibus ludibria: ſemper
Exitus iſte ſuis hoſtibus eveniat.

R. NEVVLIN *S.T.B.*

SUrgit in amplexus procerum, viduiq; popelli
Collapſum patriæ numen; convitia gentis
Horreſcit pietas fati, queruliq; doloris
Impatiens firmat nutantis pondera ſceptri.
Nec fruſtra jacuit *Carolus*: cum Rege ſepultus
Conſurrexit ouans populus, ſanantq; quietæ
Gentis torporem, læſæ portenta ſalutis.
Quam benè ſecurum concuſſi vulnere Regis
Terruit ira Dei populum, terriſq; minata eſt
Mutati fatum ſceptri, quo Rege triumphat
Anglia, quo fruitur Domino, jam territa ſenſit,
Iam trepida agnouit. Patri ingemuêre relicti
Pupilli, viduæq; ſuo timuere marito.
Ingratæ gentis pietatem prodidit æger
Princeps, & precium docuit vicinia damni.
Sed tamen (ô vidiſſe juvat) quàm nulla reliquit
Argumenta ſui morbus: non virus inuſſit

Aut lento perfoſſa exedit corpora tabo.
Inviolata redit natiui gloria vultus
Et ſine fœce decor divinâ in fronte refulget.
Crede mihi geſtit regaliter ægrotâſſe
Carolus: exiguâ vaneſcens puſtula noxâ
Numen confeſſa eſt, majeſtatemq; verendi
Corporis agnouit timidi reverentia morbi.

TH. TERRENT. *A.M. ex Æde Chr.*

MEntita Alciden fecere pericula magnum,
Quàm te majorem (CAROLE) vera canant!
Cum modico Infantis latitares corpore clauſus,
Sulphureum facinus temnere, luſus erat.
Mox juvene induto, graviùs diſcrimina vexant,
Itur ad Hiſpanos; ſalvus & inde redis.
Iamq; viro ſumpto, techná propiore laceſſit
Morbus, at agnoſcit numen & iſte tuum.
Quod ſupereſt Senio, precor ô! nil reſtet agendum,
Te clarum reddunt acta pericla fatis,

HENR. BEESLEY. *A. M. ex Aula Alb.*

OBtexit faciem noſtri nubecula Solis:
Diſcuſſa eſt ſubitò, reſtituitq; diem:
Gratior effulſit CAROLVS, diſcrimine tali
Et cæpit populo, charior eſſe ſuo.
Quid vel agat Batavus, vel quas Germania clades
Lugeat à Sueco pænè ſubacta duce,

Hæc

Hæc aliæ narrent gentes: nam poſſidet Anglos
Vnica de Regis fama ſalute ſui.

E. WRENCH, *A. M.* C.C.C.

VIderat immanes CAROLVM *Proſerpina* ſtrumas
Fælici palpare manu, tactumq; potentem
Abſq; tuis (Medicina) moris, vacuoſq; labores
Remigis, ereptaſq; animas è faucibus Orci;
Et ſitibunda ſtudet CAROLI libare cruorem.
Percuſſit regem certiſſima dextra; frequentes
Variolæ tinxere cutem; jacet ipſe *Machaon.*
Sed jacet, vt ſurgat robuſtior. Ecce triumphat
Protinus, atq; tuam ridet (*Proſerpina*) falcem;
Vt ſolet ex omni major remeare labore. —
Scilicet immenſum hæc exercet cura Tonantem,
Vt CAROLI ſeros moderentur lora nepotes.
Servantur tardæ fila hæc frangenda ſenectæ:
Nec niſi mortali cum ſit diademate feſſus
CAROLVS, æterno cingentur tempora ſerto.

RIC. OVVEN, *A. M. Col. Oriel.*

CAROLE te quondam cùm mitia fata revectum
In tua fælici duxere palatia dextrâ,
Invenit abſentem Oxonienſis Muſa, ſalutat
Et reducem. nunquid minus eſt â morte reverti?
Nec mirum æſtivis dum candeat ignibus æther —
Et rubet, & flammas mundus patiatur vterq;
Tum ſi pelliculam diſtinguat puſtula ſummam

Sed quod brumali concretas frigore venas
Occuper, invito vitiet quòd corpora cœlo.
Hinc morbi licet evicti inclementia: quantum
Debemus ſuperis, & quo ſunt thure vocandi?
Fama eſt nulla tuam veſtigia lædere formam,
Si qua tamen fovea eſt, labes non illa, decorus
Sed gelaſinus erit; Divis hinc gratia major
Lætitiæq; modus, cupidis te numina terris
Incolumem præſtant, & templo Ianus aperto
Excepit, tecum Deus ille recurrere gaudet,
Et numerare ſuos longi s natalibus annos.

ED. VAVGHAN.

ERubuit morbus dum Regia purpurat ora,
Maluit & ſacram non tetigiſſe cutem.
Subductis igitur maculis, nævisq; recedit;
Aut ſi quid reliqui eſt, hoc tibi Morbe, dolet.

GVIL. HVTTON *LL.B.*

FVnera regnantûm fatali crine minantes
Non cœlo vidi Tædas: & credere tanti
Quis poſſit Caroli vel parvula vulnera, morbum,
His ſine prodigijs, ſacratum attingere corpus?
Leniter at pupugit: (veluti Cato ſæpe theatrum)
Intrat, vt exiret tantum morbillus: ovandi
(Dum jam ſaluati celebramus iubila mundi)
Et nova gaudendi ſeges hæc: non reddita tantum

Priſca

Priſca ſalus CAROLO, nobis & reddita: nam quis
Ex noſtris ſanus, noſter dum CAROLVS æger?

N. S. *A. M.*

CÆli malignitas & inclemens Deus,
Vindex vterq; non leuis piaculi,
Quo crimine iratus pium Regem feris?

Populi luendum eſt ſæpius Regi ſcelus,
Suumq; rarius: pijſſimum licet,
Ferire vellem principem, levi manu:

Vt attigi ſacram tremendæ fimbriam
Terræ, intus Auguſtum atq; plenum Numinis
Senſi Deum, ſolo minorem maximo.

Maculæ micantem Cynthium modo involant,
Nebulæq; ſolem, fulmen ac altiſſimæ
Cedri Cutem affiat: amplius nihil poteſt:

Cruentus enſis & lues ferociens,
Alijs cadentibus, Tuæ innocentiæ
Pie peperit, & diu parcat, rogo.

G. L. *A. M.*

QVàm propè ſacrilegus feciſſet Morbus, vt Anglis
Nulla relicta foret, nì pereundo, ſalus:
Si pereat CAROLVS, peritura *Britannia* tota eſt:
Quodq; fuit corpus, triſte Cadaver erit.

Publica vita, ſalus Is publica: quam ſit iniquum,
Quam grave, multa vno vulnere regna mori?
Dijs aliter viſum eſt: & reſtituere ſalutem
Tot regnis; CAROLO reſtituendo ſuam.
Egiſti, Rex magne, ipſa de morte triumphum:
Vincere cum poſſis fata; quis hoſtis erit?
Dedidicit Morbus, talem tangendo, nocere:
Et nunc amplecti, non violare poteſt.

P. ALLIBOND. *Art. Mag. Col. Linc.*

CYnthia habet maculas, maculas quoq; *Carolus*, atqui
Perdit & illa ſuas, perdit & ille ſuas.
Luna ſuas renouat, verum omnis, CAROLE, labes
Deſervit vultum non reditura tuum.
Poſcit enim frontem clementia tanta ſerenam,
Vt tua, Rex, virtus poſſit in ore legi.

T. GORSTELOW *S.T.B.* C.C.C.

SIc ſemper gemitus, metuſq; ſemper
Expirent Britonûm repente: lætis
Sic ſemper Ferijs rogum Coronæ
Præludant! Tua (Magne Cæſar) omnes
Abſterſit Lachrymas Salus ocellis.
En in lætitiam reddit popellus:
In vultum Proceres: Togata ſacrum
Gens gaudetq; Tibi dare! Ecce nubes
Quæ obduxit miſeros tuos Britannos,
Cum ſurgente fugit caditq; Phæbo.

Sic

Sic nos incolumes, ſumuſq; vivi?
Per Te (CAROLE) nuper anxij. & in Te
Funus Quiſq; ſui videt Doloris.

IO. TIREMAN. *A.C.M. Col. Linc.*

PRæteriti nuper reges, ambire favorem
Dum populi ſolum ſatagunt, prædanda relinquunt
Sacrilego cleri patrimonia ſacra popello.
Iacobum Natumq; pium ſenſere Patronos
Anglorum clerus, ditata Hierarchia, Muſæ.
Quot gemitus, quot vota iſti fudere *Iacobo*
Caſuro? Aſt obſtant fata, & ſuffragia Cæli
Iam ſocium numen poſcentia. Patre potiti
Natum etiam vellent. Sic ille petitus amici
Viribus immiſſis morbi properantia fata
Sentit. At orbari binis ſe haud paſſa patronis
Effuſis vicit fervens Eccleſia votis.
Salve diva ſalus, jam Regis amaſia; cuius
Amplexum & ſinat & voveat non invida coniux.
Inſignes nobis quot tu largire triumphos?
Tu Dea, Belgarum furias, Britonumq; repulſus
(Plorandos aliàs) iſtâ mercede rependis.
Te regi ſponſâ, non vltrà nuncia mentes
Territat attonitas occiſi fama *Suëdi*.
Tu cohibes lachrymas *Frederici* funere fuſas?
Imò & chara ſoror Regis viduata marito
Dedidicit dulcem plus juſto flere maritum:
Non viduam dici ſe paſſa ſuperſtite fratre.

T. LLOYD *LL. Bac. Col. D. Io. Bap.*

Conci-

COncinamus de Salute reſtitutâ CAROLO,
Perq; Terram, perq; Cœlos exeant Soteria.
Namq; qualis à rigente Capricorno redditus
Sol renatum clariore pingit Annum ſidere,
Dulce Cœlo, dulce Terris, dulce Aquis ſpectaculum:
Talis à languore ſalvus exerit ſanctum caput
(Dij tibi favent Britanne) gratus Orbi CAROLVS.
Concinamus de ſalute reſtitutâ CAROLO,
Perq; Terram, perq; Cœlos, exeant Soteria.
Sanitas, vbi fuiſti, langüente CAROLO?
Te Sorores, *Caſtitas*, & alma *Temperantia*
Cum *Serenitate* mentis, (Regio ſub pectore
Regna tecum æterna pactæ) conqueruntur perfugam.
Expiabis, ſi redibis, & novabis Fœdera.
Sed rediſti, firmiorq, creſcit à culpâ fides.
Iamq; *Temperans*, *Serene*, *Caſte*, *Salue* CAROLE.
Concinamus de ſalute reſtituta CAROLO;
Perq; Terram, perq; Cœlos exeant Soteria.

TH. MASTER *A.M.*

EN Ferias duplici celebrandas nomine, ſeu Te
Exhibeant nobis, CAROLE, ſiue Deum,
Cantemus natumq; Deum, Regemq; renatum,
Solennem meruit Chriſtus vterq; diem.

Occiduus modò Te Hiſpanus modò Morbus habebat,
Inde Tibi reditus gratus, an inde magis?

Nec

NEc morbos, nec habent tremulos cœlestia motus
Corpora, sed trepido nondum temerata tumultu,
Pacificas peragunt luces semota timore,
Et secura sui, levibusq; impervia Ventis;
At nos quos dubiæ regit inconstantia Lunæ,
Alternos patimur motus, modò torridus æstu
Sirius immittit febres, modo frigidus instat
Hœdus, & à madidis distillant ora Catarrhis:
Vnde Iovi demum dolor ingruit? vnde Tonanti
Ægrotat Caput? anne novos turgente Cerebro
Concepit partus? ô partus Pallade dignos!
Num femur intumuit? valeant portenta poetæ:
Regibus æthereus vigor est, cœlestis origo,
Spiritus affinis cœlo, & conterminus astris;
Vnde tibi licuit populi spectare labores,
CAROLE solliciti, miseras audire querelas,
Vtq; soles reparare. Quid? O Invicte? Quid imæ
Permistus plebi, vitiatas imbibis auras:
Diviniq; refers populorum opprobria palmis?
Scilicet illa lues populi rugaret Amores
Aut vnquam tantæ imprimeret tectoria fronti?
Scilicet illa lues tam multâ glande feriret
Regales vultus: & tanta foramina sacro
Sulcaret gremio? certe clementia fati
Purpureos nitido semouerat ore Corymbos,
Et Minij maculas. At sentis, CAROLE, sentis
Tœdia morborum non expectata, tuoq;
Compateris populo, monstras tolerare dolores:
Dumq; refers medijs vaccinia cærula, membris,
Nobilitare placet morbum. Sed quo mihi tabo?
Quô mihi tam longo circumlita plectra veneno?

CAROLVS invaluit, gelidusq; inclaruit æther
Dant Feriæ natumq; Deum, Regemq; renatum:
En reduces vultus: en vt rediviva prioris
Forma genæ, charos festinat inire Sororis
Amplexus; primoq; fouere nitore Nepotes.
Illi tu patriam grataberis, illa salutem
Illa fugam Morbi; pensatur Fratre Maritus
Et Pater à Patruo pensabitur. Interea nos
Cantamus vacuis communia gaudia Musis.

S. EVANS *LL.B. Nov. Col.*

RVmor vt invaluit, Regem ægrotare, dolebat
Fœmina, vir, Iuvenis, mœstus vbiq; Senex.
Orabam: Solum me non doluisse, fatebor,
Lætabar, Luctum posse videre Pium:
Non νόσῳ ille, fuit tantùm * φλύκταινα sciebam,
Morbillo, haud Morbo decubuisse graui.
Iam mecum gaudete Boni. Victurum Ego Regem,
Quod Faustum vobis, auguror Inde Meum:
Morbillos Iuvenes, Infantes sæpè tenellos,
Rarò Senescentes, corripuisse, Scio.

G. AXON *LL.B. Nov. Col.*

Est verbum æquivocum, passim apud Hippoc. sumptum pro quauis eruptione, seu à causa interna siue à causa externa, veluti à culice aut pulicum vibicibus.

FUnera funeribus commiscens, bustaq; bustis
Ira avidæ, nato Principe, pestis abit.
Filius an Regis potuit dum vagijt infans
A tota rabidam gente fugare luem?
Nec valet, Antidotus sibi Rex, depellere varos,
Cujus Apollinea est tam benè nota manus?

Tan-

Tantane CAROLIDÆ potuêre crepundia? plebem
De tumulo redimet qui modò natus erat?
Et res vsq; noua est? morbum miramur abortum,
Depulsum sceptro, CAROLE magne, tuo?

P. K. *A.M. ex Æde Chr.*

Parce precor, Britonum *tibi*, *dum benè nota* Calena,
Augusto, hæc, Regi, *tentat dare, Carmina*, strenam.
Externas olim peragrasti passibus oras:
Gallia te, necnon *Hispania*, CAROLE, vidit.
Quæ regio, quamvis peragranti plena pericli est,
Te tamen incolumem nobis tam *mente* remisit,
Corpore quàm sanum; quoniam *prudentia* tanta,
Et *pietas* in te constans, immotaq; vento.
Hinc sacri *Vates*, doctiq; *Heliconis* Alumni
Versibus, atq; modo divini [a] *Principis* omni,
Incolumem reditum celebrabant. Præbuit ansam
Multò haud dissimilem *lætandi* nupera vita,
Conditio aut potiùs nunc integra facta Monarchæ:
Quem, tristi Reges alii dum morte perempti,
Vidimus *ægrotum*, forsan discrimine vitæ.
Nam te detinuit captivum, CAROLE, morbus
Talis, qui citiùs validos ad funera ducit,
Quàm langueſcentes. Verùm tibi pristina dudùm
Atq; optata salus, nostro concessa Patrono.
Scilicet illustrem hunc non vult *Mors* tollere *Patrem*:
Ne sic chara suo *conjux* viduata marito,
Nobilis aut *soboles* meritò deflere parentem
Defunctum possit, vel nostra *Academia* Regem:
Qui toti exemplar *pietatis* nobile Regno est;

a Carolus Redux.

Et cui Rex Regum virtutem, ac munera ſeuit,
Qualia vix vllis *Majoribus*. Hoc benè nôrunt,
Qui te Principibus nôrunt conferre vetuſtis:
Arbiter exemplum hoc æquus benè penſitet vnum.
[b] *Vergilius*, meritis *Edvardi*, à *Numine*, Regis
Conceſſum agnoſcit, ſacrum regale *Chariſma*;
Quo, ſolùm tactu, ſtrumam ſanare ſolebat.
Idem, [c] *Bleſenſis* multâ pietate, fatetur:
Rex quoniam *Sanctus*, Domini quoq; *Chriſtus* habetur.
Atq; tuæ *Donum ſanandi* tale Coronæ,
Et *Britonum* ſceptro ſemper fore continuatum
Nemo negat, niſi diſplicuit [d] Cui, quam profitemur,
Religio, necnon *Majorum* hoc gloria Regno.
Ex *Dono* hoc facio, tibi cum *Majoribus* æquè
Conceſſo, poſſis digito ſanare aliorum
Morbos: Quippè comes largita eſt inde facultas
Mira. Sed *ægroti* quis ſcit curare dolores
Regis? reſtituit ſibi quis medicâ arte ſalutem?
Regius eſt *Medicus* qui à morbo & morte redemit,
Ipſe Deus, Regem noſtrum. Vis omnis ab ipſo eſt.
Ergò quid ſupereſt? Tam Rex, quàm Subditus omnis,
Æternum juſtis celebrent, hoc laudibus anno,
Numen: Et vt ſemper ſint fata benigna precandum.

[b] Pol. Verg. lib. 8. hiſt. Angl. f. 143.

[c] Pet. Bleſ. Ep. 150. ad Clericos Aul. Regię

[d] Delrio diſq. Mag. l. 1. c. 3. q. 4.

TH. CROSFEILD *Coll. Reginæ Soc.*

I, curre, accelera, CAROLVS (quid, Phœbe, moraris?)
Heu CAROLVS morbo ægrotat, morboq; verendo,
Cumq; ſuo CAROLO tota Anglia. Sume liquores
Qui ſuperant mortem; cape balſama qualia læſos

Perſanant

Perſanant ſuperos. Nunc O Nunc Numina ſuccis
Surda alijs, Phœbææ auſcultent protinus arti;
Ambiat & vinci Fatum, Morbuſq; pudendus.
Vana precor. Magno CAROLO vacet ire per vmbras
Nondum in equis CAROLO parvo ludente; frementé
Nec dum principibus teneris & Regibus Aulâ?
Nec vacat huic, nec obire licet. Si reſpicis Annos,
Dic, vbi Cæſaries Saturni? vbi lumina tandem
Emerita, atq; nives Capitis, Rugæq; Colendæ?
Totus adhuc candor, totâ Æſtas fronte ſuperbit.
Nec CAROLO ſatis hæc. Vbi dignus Principe Morbus
Qualis erit Mundi, qualis fuit ante *Iacobi*
Febris, & optandi Pyreti nova Flamma? Quirites
Hi morbi & vulgus ſapiunt. Vbi deniq; cæli
Monſtra, & magnatum minitantes fata cometæ?
Hæc cum vicinæ fient Præludia Mortis,
Tunc timeam CAROLO, CAROLVS ne ſydere Cælum
Augeat, & proavis ſocium ſe Regibus addat.
Sed jam vivit, Iô, Reges interq; cadentes
Stat ſolus maior Fatis, auſuſq; minantes
Non pallere Deas. Sic, ô ſic pallida Fata,
Sic ſemper frænet CAROLVS; Vivuſq; ſupremas
Ad ſedes raptus, Plauſtrum regat altior ipſis
In Cælis proprium, Plauſtrum in Tellure Nepotum.

G. WILDE *Iuriſ. Soc. Ioan.*

SIccine graſſari audacis contagio morbi?
Siccine deſævire ſolet? Spoliandaq; Regnis
Iunctim vita Saluſq; tribus? Fælicior Orbi
Affulſit, Feſtiſq; dies numeranda, Britanno:
Et neq; noſtra ſalus, nec pars divinior auræ

Quæ regnis tribus eſt & Vita & gloria, Mortis
Artifici morbo ſuccumbit. Plaudite muſæ
Oxonides, feſtumq; canatis ab Iride carmen.
Deſinat vlterius Sacrum vitiare rebellis
Puſtula, Plebeio poſt hac ſaturanda cruore,
Et vulgi ſpolijs, quorum eſt ſatis ampla ſupellex:
Nec niſi ſera cadat Regalis victima Fatis.

GVIL. HODGES *A. M. Col. Exon.*

PAngite pierides, mutatas dicite formas,
Et nova (Si medicis placeat) data corpora morbo.
Naſo mihi numeros, numeros mihi necte Catulle,
Puſtula, dum quanam ſcelerata ab origine, quanam
Sic ratione ſcatens teretes graſſetur in artus,
Improba nec metuat gelido occurſare decembri,
Principis & thalamos, regiſq; intrare cubile,
Carmine depingam. Pandoræ numquid alumnum
Hunc peperit pyxis: Tunc cum ſua dona recluſit
Iapetionides? Latiâ an ſpiravit ab aura
Halitus, vt Latijs Epidaurius appulit oris?
Cocytuſve ſinu peſtem eructavit ab illo
Pallentes habitant vbi morbi & turpis egeſtas?
Haud reor in ſacros, neq; ſic auderet honores.
Vana igitur vatum veterum ſit fabula, nec iam
Naſo mihi numeros, numeros neq; necte Catulle.
Progenies magis iſta nova, atq; propinquior ortus.
Teutonicam linquens aciem Bellona, Britannos
Scilicet accedens, ſpumantes oblita rictus,
Cæde virûm, noſtras maculoſâ grandine terras
Verberat, & faciem reliquos ante involat omnes
Cæſaris. Oppoſuit dextram natura: ſerenam

Horrida

Horrida ne faciem temeraret, tabe coruſcas
Inficiente genas. Caſto Deus æquus amori
Sic bene conſuluit. Simili quota millia morbo
Corpora luſtrauit juvenilis ſanguinis ardor?
Vt paſſim poſſit (quæ regis maxima virtus)
Noſſe ſuos, ſic variolis ſcatet Anglica pubes.

T. KECHENER *LL. Bac. Nov. Coll. Soci.*

NOvum Britannis hoſpitem, à ſuis, Delo
Tenedoq;, regnis, Cynthium, quid advexit?
Populine grandis Io, & infrequens clamor?
Aut pharmacis inſtructus advolas, Regi
Serus miniſter *ſoſpiti?* Vel accedis
Præſes, Camænæ non tuæ, inſolens? Ecce
Sine te Britannus entheus, Deus ſoſpes.
Nempe abdicatas revocat & creat Muſas
Idemq; poſcit Rex, & inſtruit, Vatem.
Et expedivit Pſittaco, novum Καῖρε,
Mihiq; carmen: ſcilicet ſalus tanti,
Nulli tacenda CAROLO: ſuo rurſum
Redux, Ibero littore, an pari voto,
Animiſq; iam carebit? O nefas dirum!
Gratamur ergo Cæſari, ſuum fato
Potentius plaſma, Dominas manus Morbi:
Cuius ſuperſtes CAROLVS, Deo viuit,
Suiſq; laus perennis, & *Triumphator.*

H. C. Coll. *Mag. Soc. A. M.*

VT geſtiebam, Cynthio plenus, modo
Properare ad alti Bifida Parnaſſi juga;
Elanguere Muſæ, & attonitus chorus

Reſponſa

Reſponſa nec conceſſit, aut votis meis
Annuere valuit, totus in ſuſpirijs.
Mærens ſtupenſq; Delphicos adij lares:
Quid cauſat (inquam) Phæbe tam luctus graves?
Aut vnde gemitus! Tripode detonuit Deus;
Res digna planctu: columen & genium togæ,
Patriæ parentem, ſæculi facilè decus:
Quem pariter vnum Gratiæ, ac Muſæ, colunt,
Regem moleſtus CAROLVM morbus premit,
Ipſoq; morbo triſtius morbi genus.
Sed ſi quid artis mihi ſit, aut Medicæ manus
Præſtare poſſint aliquid, aut lachrymæ piæ
Et nuncupata vota iuſtorum truces
Poſſint ſorores flectere; expectes, brevi
Reficiet artus priſtinus laſſos vigor.
Non me fefellit; leniter calvit lues,
Et gemma rara Regium pinxit latus,
Dictoq; citius arſit & fugit ſimul.
Sapit medela Numen; immenſum hoc bonum
Debetur arti; ſed magis miraculo.

Lubens ergo age Muſa per choreas
Duc nos caſtalidum, cienſq; plectra
Verſum fundito (iam vacant camænæ)
Non qualem tribuunt Deæ *gementes*
Aut qualem invalido ſolent patrono,
Iejunum lacerumq; languidumque
Carmen; quale *alacres* queunt Sorores
Et quale incolumi ſolent patrono,
Plenum grandiloquumq; vividumq;

I. HIDE *Mag. Col. A. M.*

In auſpicatiſsimam Regis è Variolis convaleſcentis ſalutem Carmen gratulatorium.

DUm Regis inde, & inde totius ſalus
Regni timetur; dum pari ſaltem metu
Viro *Maria*, Principi facilem vovet
Populus mędelam; nuperos fatis dolor
Indulget ictus: vix *Frederici* rogos,
Dubioſve cineres flere *Guſtavi* vacat,
Plus vivus vrget, major è CAROLO venit
Spirante luctus: hoſpitis ritu tamen
Statim receſſit, non moras egit dolor;
Brevique Populi numen oſtendit metu
Non infideli qualis in ſolio ſedet,
Sed quantus Animis: vindicis cœli nihil,
Totum probantis vidimus. Timidus diu
Paviduſque morbus ſanguinis tanti vadum
Invitus intrat: indices ſiquæ cutem
Ægram occupârunt puſtulæ, ſiquæ loco
Tanto ſuperbæ conſpici optârunt, ſuis
Tumuêre fœtæ lachrymis, illo velut
Latice paratæ flere, quod fieret, nefas:
Fugienſque ſparſam purpurâ morbus notam
Supplex reliquit, poſſet vt crimen ſuum
Sic deprecari, non quaſi victor ferox
Trophæa ponens, ſed quaſi triſtis reus
Timido rubore faſſus admiſſum ſcelus.
Sed ſuſpicaces anxius nondum metus
Poſuit popellus, pertinax curas fovet,

Vltraque morbum trepidat; & quamvis coli
Nihil reſectum cernit, & totum ſtupet
Adhuc decorem; victa formidat tamen
Reputans perîcla, quæque tam inviſum malum
Feciſſe poterat, vnicam cauſam metûs
Metuiſſe faciens. Sit nihil poſthac, precor,
Quo ſe tuliſſe ſentiat morbum, niſi
Meliùs valendo: nulla Medicorum manus
Hos jactet artus. Proſperum hunc Illi diem
Tanquam ſecundos Aula Natales ſacret:
E fæce plebis quilibet curſus ſuis,
Cùm convaleſcit, redditur, Princeps datur.

GUIL. CARTW.

In Regem CAROLUM *ab Exanthematis revaleſcentem.*

EXultans numeris ligatus ardor
Primus non fuit impetus caloris,
Tentat lætitiâ tumente fœtum
Dudum gaudia parturire pectus:
Salvi nuncia regis intùs audit,
Famæque anticipans volantis alas,
Rumorem ſine nuncio recepit;
Te famâ reticente, quiſque nôſſet
In ſeſe incolumen, ſuis dolorem
Senſit principis vt gravem medullis,
Regnum corpore dum laborat vno.
Quænam eſt ambitio mali per omnes
Rivos ſanguinis inclyti vagantis,

Quæ

Quæ clarum proavis petens cruorem,
Sævit nobiliore parte? dicas
Regis, non hominis fuisse morbum.
Venis æstuat, at verenda flores
Nusquam purpurei per ora vernant,
Nec sacros temerare morbus audet
Vultus, quos populus frequens adorat:
Parcè germina per cutim resurgunt,
Corpus pustula rariorque signat,
Sordes exiguas, minusque fæcis
Tanto sanguine dum fatetur esse.
Putris per tenues means canales
Ebullit cruor, & malignus humor
Defæcatus abit, fuit medela
Iam morbus tibi, jam lues Machaon,
Solùm per totidem dies fuisti
Ægrotus medico, malum favere
Sensisti, tepet en per omne membrum
Sanguis purior, & novo vigore
In longos melior viresscis annos,
Hic natalis erit tibi secundus,
Huc filum *Lachesis*, suum revolvet,
Atque hinc incipient opus *Sorores*.

T. Clarke.

BEne est. Caloris pristini agnosco Deum,
Agnosco, Carole, præpotens Numen Tuum,
Toties Poëtas qui vel invitos creas.
Olim reverso debitos plausus Tibi,

Chartaſque plures dedimus, & lauro fores
Viruêre lætæ, quando ab Hiſpano redux
Tuos beaſti, qualis ex omni ſoles
Labore, major. Anſa lætandi data eſt,
En alia nobis, Hoſtis interni dolos
Quöd perferendo viceris! Palmas ſuas
Surſùm elevavit qui modò, in plauſus dabit
Nunc quàm libenter! frigidus ſanguis tuum
Regnum occupavit, proximum frigus neci
Invaſit omnes, triſtior cum te lues
Invaſit vnum. Sed quid imbellis furor
Te puſtularum vexat? hæ naſci ſolent,
Cum tabe ſtagnet ſanguis: At venas tuas
Percurrit vnda purior, nullo ſitu
Sanguis putreſcens; Craſſi & Humoris vice
Mixtura ſola corporis Virtus erat.
Agnoſco tandem Puſtulæ ingenuum dolum
Fraudemque doctam; latuit incertâ jubar
Sub nube paulùm CAROLI, vt Populus ſciat
Vultu carendo Regio meliùs frui.

W. OWEN.

VIvit, & æternùm vivat, ſpes vnica mundi,
Terrarumq; decus Cæſar, quem providus æther
Servat, & ipſa ſalus tutis amplectitur vlnis.
In quem nulla lues, nec morborum agmina quicquam
Iuris habent, ſed poſt variæ diſcrimina ſortis
Soſpes adeſt, iterumque Redux. Cur debita nondum
Gaudia ſperâſtis Superi? quid viſere fruſtrâ
Optâſtis nunquam morituri funera Regis?

Ille

Ille quidem æthereâ dominari dignus in aulâ,
Et regere imperio cœlos cum Rege Deorum,
Quo ſolo minor eſt, & ſceptra ſecunda tenere.
Sed Virtus & Fata vetant, quæ fœdere certo
Singula in vnius conjuravere ſalutem:
Vt veteres tranſcendat avos, mundumque trophœis
Impleat æternis, nec ſolum fama loquatur
Guſtavum, magnis vincet quem CAROLUS actis.
Talia vota facit mundus, ſic ſupplicat orbis,
Tardus ad aſtra migres, & cœlo, maxime Cæſar,
Dij faciant te ſerò frui, ſemperque mereri.

T. G. *A. Bac.*

VIx levis ereptum narravit rumor *Adolphum*,
Et cineres (*Frederice*) tuos, quin ſævius inſtat
Vis adverſa mali, propiùſque vrgere Britannos
Cæperat, & veluti gemino majoribus auſis
Funere præludens, demum hîc tentante lacerto,
Parca ferit: referens aliunde cadavera Regum,
Hic tantùm aggreditur, veluti contenta minari,
Et magnum reputans CAROLUM tetigiſſe triumphum.
Proditor inſidias male-fido gurgite ſanguis
Accepit: Solo eſt CAROLUS feriendus ab ipſo:
Sed neque qui proprio latet, hoſtis ſanguine lædit,
Excoquit hæc tantum, non perdit machina, virus
Corpore quicquid erat, ſic evocat inde, manuque
Sub rigidâ dicas numen donâſſe ſalutem,
Eſavi agnoſco digitos, vocemque *Iacobi*.
Sed premit ipſe malum, nolens commercia luctus:

Hoc unum nobis Pius invidet, attigit aures
Tunc morbus cum nullus erat, ſolùmque valendo
Ægrotaſſe liquet, tantùm ſolatia Regis
Audimus, taliſque nihil niſi proſpera Sceptra.
Qui dubiam numeras inter ſecreta ſalutem,
Et tantum gaudere jubes, tibi læta vovemus
Omnia; nulla tuæ poſthac ſit portio vitæ,
Quam populum non nôſſe velis, quam teſtibus illis
Auferri exoptes, nobis precor addere pergas,
Perpetuam, ſed non tali fundamine nixam,
Lætitiam; quæ ſic veniunt ſolatia terrent.

GUILIEL. STUT.

DUm palleſcimus, heu nimis miſelli;
Dumque inſtant febrium novæ phalanges,
Et quodcunque mali eſt potentioris:
Ne nos deprimerent nimis dolores,
Ærumnæque ſatis laborioſæ;
Noſtros CAROLUS excipit dolores,
Et Princeps epidemicè laborat.
Et quæcunque neceſſitas malignæ
Sortis propoſuit ſeveriora
Iam facit leviora ſuſtinendo.
Felix illa dies, eritque ſemper
Quæ te reſtituit tibi, ſuiſque,
Auguſtiſſime, reddidit ſalutem:
Vivas auſpicio beatiori,
Illuſtriſſimus omnium Patronus,

Et

Et caligine jam procul remotâ
Erumpas radio ſereniori:
Et cum ſuſtuleris malum popelli,
Noſtram participes diu ſalutem.

FRANC. WRIGHT, *A. B.*

MOrbo afflicta Tuo jacuit Reſpublica; vires
Iamque tuis auctis viribus, ipſa capit.
Nam gravis eſt morbus, capite eſt qui fuſus ab ipſo:—
Vertitur inque tuâ, noſtra, ſalute, ſalus.
Hîc peſtes potiùs libet exoptare ſalutis,
Non deerit populo, te potiente ſalus.
Verùm inter tantas Regum langueſcere mortes,
Non morbus, pietas ſed tua, Cæſar erat.

NIC. HOWSON, *A. B.*

SI rabidis priſci referebant numina morbis,
Thuricremaſve aras ſi Libitina tulit:
Qui reges tangit, cognataque numina cœlo,
Quantum, dic, numen, (ſi modo morbus) eris?
Cum furis in populo poteris tum morbus haberi,
Cæſareo reſidens pectore numen eris.

GUIL. PAGE, *A. B.*

OMnibus æqua quidem mors dicitur eſſe, ſed eſſet
Injuſta hæc nobis, ſi foret æqua tibi.

LAURENT. BREWER, *A. B.*

Quid

QVid Regem invalido dente premis lues?
Imbellis nimis es, lædere quæ Iovem
—Tentas: vincere ſi vis,
Plebeias peteres domos.
Reges invalidi non metuunt minas
Hoſtis: proh! tenuis tu: Stygium ad lacum,
Solus mittere poſſit
Morbus nobilior Deos.
Aſt Hunc fortè lues neſcia vulnerat,
Plebejo rata ſe ſangine ſerpere:
At notum citò Numen
Eſt confeſſa brevi morâ.

GUIL. CREEDE.

QVid jam ſollicitas novem Sorores?
Quid Phœbi ſolitum precaris œſtrum,
Quem ſoli ex trivijs rogant Poetæ?
Rerum prima ſalus, & una, ſoſpes,
Soſpes CAROLUS Entheo furore,
Quem non vel ſubitò facit Poetam?
Quis non carmina, gratulationes,
Et vota atque animum refundet ipſum,
Quum vitam atque animam novam recepit,
(Fibris quis niſi corneis laboret,)
Dum Regis fruitur ſui ſalute?
Pro ſe nemo Iovi preces litavit,
Cepit vota Deus nec ulla, præter
Quæ te, CAROLE, ſoſpitem rogabant:
Si quas corpore jam tuo reliquit
Hic morbus, foveas, ſtupere ceſſa;

Vellet

Vellet longiùs intùs immorari,
Nunquam pabula tàm beata novit,
Tàm molli jacuit nec ante plumâ.
Exanthemata, quæ fuêre morbus,
(Quantum cura poteſt, & ars doloris.)
Iam ſunt deliciæ tui popelli.

T. ANDREWES.

Indignatio Gratiarum, ægrotante CAROLO, *Britanniarum Monarchâ.* Gratiæ.

QUis furor (ô *Parcæ*,) quæ tanta licentia Fati,
Hos pariter ſuperare ſinus? Rurſumne recumbit —
Cæſar: & agnoſcit diri veſtigia Morbi?
Huc (ſcelus!) huc fauces tendis, Libitina, voraces?
Scilicet hîc, hîc Phlegra tibi eſt? vbi condere fas eſt
Prœlia cœlitibus? noſtroſque laceſſere Divos?
Ambitioſa fames morbi eſt? Fatumque ſuperbit?
Quò ſcandit rabies? Quorſum fuliginis vmbrâ
Sordet ebur frontis? Cur ſacrum pectus iniquæ
Deformant maculæ? Quo crimine ſævijt ira?
Nos heu! nos CAROLI ſpectat dolor. Illius Aulam
Novimus, & ſocio tutamur pollice Regnum.

Reſponſio Parcarum.

Parcite (Dijs genitæ) mentem vexare querelis; Parcæ.
Elumbis venit iſta Lues. Nec defuit omen.
Septima fluxit hyems, ex quo Diadema Britannum
Hos decorat vultus. Hic Climactericus annus —

Regnantis CAROLI eſt. Nocuam tentavimus artem
Ante; ſed ingentis prohibebant pondera cæpti,
Sic properare nefas. Dextræ ceſſurus inermi
Non eſt Defenſor Fidei. Nec degener ictus.
Qui ſolet extremum dolor infeſtare cerebrum,
Nunc Caput infeſtat populi. Sed Numina novit,
Scitque fidem ſervare Dijs. Quòd regia corda
Stipabat numeroſa lues, ſpeculere ſalutis
Omina, denſato nunquam temeranda periclô.
Rere ſuperductis ſuccendi tempora gemmis.
Fortè etiam longi ſeriem depinxerat ævi
Quo Britonum frænabit opes. Vel ſydera credas
Æmula Terrenum radijs decorare Tonantem:
Quæ, ſimul ac terras *Auguſti* fulgor inaurat
(Vt reducis ſplendet poſt ignes flamma metalli)
Arcebit, viduata comis. Velut aſtra minora
Perſtringit ſolare jubar. Neque ſceptra peribunt
Degeneri maculata manu. Diademata tradet
Regia poſteritas; dignus moderabitur hæres.
Alter & emerito ſurget de pulvere *Phœnix*.

ED. BATHVRST. *Bac. Art. & Trin. Coll. Alumnus.*

Chronogramma.

VIVIt reX nobIs, abſorpta eſt
Mors In VICtorIâ, Deo gratIas.

CAROLE, jam morbo ſapimus: dum morte laboras
Vir, cùm ſcis mortem vincere, numen eris.

Mors

Mors gulo macreſcas, tua ſunt jejunia Feſta:
Non tibi noſter erit menſa ſecunda Deus.
Mortua ſis: vivit; non eſt mortale quod optas:
In te, non Regem tela retorta cadunt.
Invida victa ſapis; fiunt tua principis arma,
Vivere ſi poſſis, vincere ſæpe poteſt.
Quàm celebrare Deûm placeat natale duorum,
CAROLE magne tuum, maxime Chriſte tuum!

F. P. *è Coll. Magd. Bac.*

NUper erat maculis obſcura *Britannia*, tabem:
Traxit, & aggreſſa eſt (vt ſolet iſta) Caput
Sol tamen emicuit: nec enim inter nubila condi —
Longiùs iſta tuum fas erat, *Angle*, Caput.

GEORG. ZOUCH,
Nov. Coll. Socius.

MOrbus regalem nuper penetraverat Aulam,
Auſus tàm magnas contemerare domos:
Aſt CAROLUM vt vidit, ſalve, *Auguſtiſſime*, dixit:
Hinc Tibi majoris cauſa ſalutis erit.
Ergò vbi te tactu, qualem penè ipſe rogares,
Signârat, fugit: & talia dicta dedit.
Quæ decet eſſe Hominum tali pro Principe vota,
Cui damni voluit Peſtis acerba nihil?

IO. MAYLARD.
Nov. Coll. Soc.

INſit quis mihi ſi Deus, reſurgat;
Tu cum Rege Tuo valeſce Muſa,
Salvus CAROLUS à furore morbi
Carmen ni moveat Tuum, petito.
Sano Principe, quis futurus æger?
Plenâ qui nequeat frui ſalute,
Morbi vulnera gaudio levabit;
De Te, CAROLE, pharmacum reſumet.
Is quem Puſtula languidum peredit,
Qui triſtes Medicos remiſit olim;
Optans quod ſupereſt coli ſecandæ
Huic impendere jubilo frequenti,
Quòd Princeps valuit, tamen nec æger:
Robur lætitiâ ciente ſumet,
Quâ mox depoſitâ peribit Ipſe.
Gaudebit ſimilis ſui quòd eſſe
Non poſſes, lacero, cavoque vultu:
Nolet Te ſocium ſui doloris.
Tantillum ſibi poſtulat ſalutis,
Vt, foſſâ cute, Te videre vivat,
Te, cui non eadem lues noceret.
Quem verò niveus decor, genæque
Illæſus nitor integræ venuſtat:
Lætus Te citò convalere, morbos,
Hos morbos faciles laceſſit vltrò;
Optat tot papulas, *Machaonique*
Horas tot tribuit, Tuumque tempus;
Tecum, ægreſcere malit, vt valeſcat.
Quin noſtris liceat, peto, Camænis,
Regem viſere redditum Camænis,

Sana-

Sanatamque manum deoſculari.
Morbo diſſimilis Camæna, geſtit
Multo carmine, gaudioque longo.

TAm citò diffugit brevior dum, CAROLE, morbus
Redditus es Nobis cùm neque raptus eras.
Quàm præveniſti lachrymas! turgebat ocellus,
Lapſuram, citiùs ſed revocavit, aquam:
Guttula ſi cecidit, quòd eras non exijt vnda,
Sed poteras morbo languidus eſſe Tuo.
Rara Tui ſacro diſperſa eſt puſtula vultu,
Poſt Tergum timidè, ne videatur, abit.
Non auſa eſt mordere genas, faciemque forare,
Sic populum ſolita eſt diſcruciare Tuum.
Dedidicit rabiem molleſcens, CAROLE, morbus,
Principe ſub leni mitior ipſe fuit.
Comprimit huic oculos, venturi præfica fati,
Puſtula, vel vultu deteriore notat;
Is larvâ obductus, novus eſt, faciemque videre
Qualis ſit, nolit, qualis erat nequeat;
Huic, tamen invito, figuntur lumina centum,
Argi quæ tanquam lumina, nulla vident:
Indulget Regi ſine quâvis puſtula pœnâ,
Vel vitiante genas, vel minitante necem.
Quos decet eſſe hominum noſtro ſub *Cæſare* mores?
Morbis qui virus mitius eſſe facit?

I. MAPLET *ex Ad. Chriſt.*

INgenitæ varos Medici purgamina fæcis,
Maternique malum ſanguinis eſſe putant.

Vix morbi oſtendit veſtigia CAROLUS: *Annam*
Sanguine tàm puro credo fuiſſe Deam.

HEN. STANLEY *Art. Bac. Novi Coll. Socius.*

PUſtula plebeiæ rarò miſerata figuræ
Signavit, multo ſtigmate nota, gregem.
Innumeros dedit illa rogo, miſerèque coactis
Vivere cum vitâ jam nova forma data eſt.
In qua tot fodit tumulos, tot ſculpſit, edacis
Sarcophagi poſſent vt meminiſſe ſui:
Hæc, depicta genis explorans ſigna ſenectæ,
Abijcit à digitis virgo *Memento mori:*
Et, ſpeculo cribrata ſuo quod ſurgit imago,
Huic geminat ſulcos plurima cura novos:
Tot morbi monumenta videns ſpirantia, raptum
Nil tibi præterquam CAROLE vulgus habes:
Raſit inoffenſum tibi puſtula nulla decorem,
Sed vitium proprio faſſa rubore perit;
Inque novas rupit lachrymas, vbi mergitur omnis
(Si qua fuit toto corpore) tetra lues:
Ægrotes aliter nunquam, niſi, CAROLE, victo
Quo poteris morbo ſanior eſſe tuo.

G. LOVELEDGE.

SIccine Pæca ferox, & rygride ſævior omni,
Nunquam longa ſatis *Frederici* ſtamina fregit?
Siccine magnanimo mundum ſpoliavit *Adolpho?*
Nec tantis contenta tamen ſcelerata triumphis,

Egre-

Egregium CAROLI cupit exhaurire cruorem?
Post tot mille animas iræ (Bellona) litatas
(Invidiosa) tuæ; delassatumque Charontem,
Et fere submersam tranantûm pondere cymbam,
Deturbare audet CAROLUM è temone Britanno?
Id molita nefas, nescis (temeraria) nescis,
Quodnam immane Chaos funesta induxerat orbi
Dextera, quot jugulos petisti vulnere in uno.
Scilicet ille latex non deficientibus undis, —
Innumeros fœcundat agros, & flumina nutrit:
Ingens sylva hominum super hâc radice quiescit. —
Anglia, si tollas CAROLUM, est exangue cadaver.
Inde animam traxêre suam, quoscunque profundum
Arctoum canis populos circumluit undis, —
Hinc procul esto Dolor; procul hinc discedite Febres:
Variolæ Audaces, obscuros pingite vultus,
Viliaque in medio disquirite pabula vulgo;
Nil nisi ruga suas hâc ponet fronte figuras;
Comprimet hos oculos tantùm matura senectus,
Intemerata malis, atque omni fortior hoste.

GUIL. HARWELL, *C. O.*

MOrbus, qui morti solet inservire, saluti
Consuluit Regis, medicum se præstitit ægro:
Ut sic excocto similis rex inclytus auro —
Purior emergat, scoria purgatus ab omni.

FRAN. ANDERSON, *C. C. C.*

Occubuit

OCcubuit denso confossus vulnere Cæsar,
Divisamque tulit mortem: Rex, Cæsare major,
Fraudem intestinam, & dubij conamina morbi
Pertulit illæsus; vicerunt membra venenum,
Decoxitque luem sanguis: Pars nulla relanguet,
Seque vetat tangi, morboque irata tumescit.
Exiles bullæ, surgentes cortice rubro,
Ceu tenues Cerasi, aut pulvis rutilantior auri,
Ornavere cutem niviam. Labecula quævis
Fomentum egessit morbi, membrisque latentes
Extulit insidias fati, ut mox fæce revulsâ
Non possit pars ulla mori; fusosque perennes
Perducat vegeto annosus subtemine Princeps.

IMmersas querulo genas fluento
Tergat plebs: Timor exulet pusillus;
Morbus non potuit ferire Regem,
Tinxit purpura sola, non venenum.
Sin morbus fuit aut cerussâ morbi:
Ploravit populus tulisse posse
Te ludibria fabulamvè, Princeps.
Non subducere Te queas ocellis,
Secretovè tibi valere: quin te
Mox Respublica pertimescit ægrum.
Vultus deliquium serenioris
Vestri (CAROLE) morbus est Britannis.

GUIL. IUIE, *ex Æd. Chr.*

REx patitur? Illæque Domino haud prosunt manus
Quas nemo non medicas probavit? morbidi

Strumas

Strumas popelli tactu Apoſtolico ſolens
Arcere; ſimile neſcit aut levius malum
A ſe amovere, puſtulas? harum lues
Metuit aperto Marte graſſari: furit
Ictu ſilenti: Regis à tergo ſubit,
Hoſtes ſui imitata: At ſacrum vultûs decus
Nec vna fœdat macula; Majeſtas ſedet
Hoc orbe: Numen ſentit & Morbus Tuum
Auguſte Princeps; ſentit, & leviter ferit;
Pudetque percuſſiſſe vel ſic; & fugit.
At Rex maligno carnis exutus ſitu,
Solidatur ipſo morbo, & artus induit
Robuſtiores: (pulchriùs ſic fulgurant
Metalla defæcata;) non membra enecat
Hæc ægritudo Capitis; haud cruciat lues
Quæ dat ſalutem: gaudet his populus malis,
Quæ fata ſera CAROLI ſpondent throno.

RIC. SWAYNE *ex*
Æd. Chriſt.

QUæ tulit ejuſdem morbi Conſortia, verſus
Incolumi *Phœbo* turba novena litat.
Languida nam ſalvo revireſcit Muſa Patrono,
Et valet, & tuto Præſide tuta viget.
Frondeſcit laurus dum ſurgit *Apollo*; poëtas,
Et Regem ſanos reddidit vna dies.
CAROLE, Te gaudent, & ſe valuiſſe, ſalutis
Signa Tuæ ſcribunt Carmina, ſigna ſuæ.

IOH. GOFTON *Eq. Aurat. fil.*
ex Æd. Chriſt.

NOn Te, CAROLE, pharmacum redemit,
Nec tabem luis expulit *Machaon*:
Hâc vulgus revaleſcit Arte; tantùm
Majeſtas ſibi Sanitas futura eſt,
Seſe conſulit vna, ſe tuetur.
Non herbæ Diademati ſalubres,
Non ſunt Pocula; Regiumque morbum
Nil tollit niſi Rex; ferendo tollit;
Membrum, quod patitur Venena, Sanat:
Seu vis inſita, ſive tinxit arte
Galenus digitos, ſibi medentur,
Vulgo qui toties medentur ægro.
Io, qui poteris fugare Morbos,
Vitam, CAROLE, fac Tuam perennem.

MAVRICIVS BERKLY.
Æd. Chr. Alum.

CONvaluit CAROLVS, feſtæ fulſere Calendæ,
Candidior nunquam veniſti *Iane* Britannis.
Iupiter ipſe licet Cœlos in Munera laxet,
Non dederit ſtrenam majorem, Principe ſalvo.

GVIL. PARSONS.
Coll. Novi Socius.

STupent dolores. CAROLVM fata impetunt
Audaciora. Dis, triumphis haud ſatur,
Nil grande ducit, quòd tot orbis Principes
Fatalis annus mancipavit victimas
Ipſi paratas. heu! Britannum *Cæſarem*
Invadit hoſtis impotens vulnuſculis.

Peri-

Periclitatur CAROLUS. Britannia
Fit penè cœlebs; Dia tam charum caput
Fati triumphis eximit clementia.
CAROLE! calorem febrium zeli tui
Proscribit ardor. Temet, in cœlo facem
Propè jam micantem, subditorum supplices
Preces morantur, & juvat CAROLO frui.
Quem dum renatæ gestiunt Musæ Entheo
Furore decantare, se salvas canunt,
Sibique gratulantur à nigrâ domo
Fati reductis. Artibus renasceris,
Ipsique Phœbo. Totus indulsit tibi
Apollo vires; ne, perempto CAROLO,
Cedamus omnes Atropo; nos publicus,
Ardente simus capite tàm charo, Rogus.

DUDLEIUS DIGGES
è *Coll. Vniver. A. B.*

SÆvior exorta est, & peste nocentior omni
Pustula, majoresque minor minitata ruinas:
Largiùs ebiberat, sed viliùs ebria pestis,
Plebeio contenta sitim domuisse cruore.
Et quanquam toties nimio se proluit haustu,
Regales cyathos metuit sperare, nec ausa est
Inter tot prædas tantos optare triumphos.
Pustula reppererat quo ictu crudeliùs vno
Eriperet Regi vitam, populoque salutem,
Atque vnâ posset gentem delere ruinâ.
Dij meliùs tamen, vt fatalem perderet ictum.
Sæviûs imminuit vulgi cervicibus ipsâ

Parcendi rabie, miſeræ vitæque reliquit
Infœlix ſpolium, & quod faſtidiverat enſis.
Quid tàm triſte poteſt laceris contingere membris,
Quàm capiti ſupereſſe ſuo, & traducere mortem?
Sola facit nobis (*Cæſar*) clementia veſtra
Quòd patimur vixiſſe, & quòd ſimul inter & extra
Funeſtas clades flere & ridere ſolemus.
Securi loquimur quas ſtrages Suevicus Enſis
Ediderat, quas magnus Iber, quas Belgicus Heros,
Nec patimur præter Pacis gratiſſima damna.
Quid Pietas, ignava jaces? Pro *Cæſare* ſalvo
Munere quid digno Cœlos onerare moraris?
Noxia, ſiqua manent, diſpergat nubila plauſus,
Et merito denſùm fument altaria thure.

GEO. KENDALL. *Bac. Art. Exon. Coll. Soc.*

MAgni ter cædem CAROLI voluêre ſupremam
Fata; tamen vivit, toties deluſa ſuperſtes
Ridet; jam metuunt filum lacerare Sorores.
En mortem pietas, morbum reverentia vincit.
Omnia ſic CAROLO parent, ceduntque libenter.

IACOBUS ROWSE.

SOl Britannicus occidit tenebris:
Sol Britannicus exuit tenebras:
Dicis blandule CAROLO *Catulle*,
Soles occidere & redire poſſunt.

THO. SNELLING,
Schol. Ioan.

Puſtula

PUstula funeribus populi fœcunda perempti,
In Carolo virus perdidit Illa suum:
Non ausit morbus vultum temerâsse serenum
Principis, aut fœdos inseruisse favos.
Non medicum quærit papularum innoxius humor:
Ultro sanatur, Te Patiente, lues.
At quæ nos deceant in Regem corda? volebat
Si Deus ipse Unctum vix tetigisse suum.

GUIL. PIERCE, *ex Æd. Christ.*

EXanthema frequens petat severas
Frontes, & caperet Catonianas,
Vitet Cæsareas: trucem Neronis
Corruget faciem. Serenitatem
Augusti CAROLI fugare nubes
Nulla obducta valet; nec ira torvum
Quem non reddiderit, potest, edaci
Morbus tabe suâ nocens, timendum.

FRANC. GODWIN. *ex Æd. Christ.*

SAcra petit dirus tua CAROLE pectora morbus,
Sed frustra: Tanti est, non potuisse mori?
Scilicet æternus nescis post fata perire:
Nec Tua, si caderes, nostra ruina foret.
Ingenium est Fati nobis tua regna videri
Indulsisse, licet non ruitura sciat.

EDVARD. FOULIS, *ex Aul. S. Alb.*

CVm jam mors *Suecum* non tempeſtiva peremit,
Victorem & ſpolijs miſcuit atra ſuis:
Cùm jam ſpes inter Reduces patriamq; propinquam,
Rhenanus cecidit peſte premente Comes:
Nil meruêre ſuo peccata Britannica Regi?
Solus & hic murex abſque cruore micat?
Tantidem CAROLI morbus cum mortibus iſtis,
Cum luctu & damno noſtra periclâ valent.
At te (Gens Britonum) lætari non modò tanta,
Tam properata ſalus, morbus at ipſe jubet:
Quicquid erat labis, pius Ille piavit; & inſtar
Plebeiæ peſtis, puſtula Regis erit.

I. C. *Coll. Ioan.*

DEnſatis *Sueciæ* ſuperbientem
Cattorum ſpolijs ducem, triumphans
Ducit mors rate pallidi Charontis.
Effrænis tamen hoc putat trophæum
Nullum, ni geminet; pererrat orbem;
Sævit miſſilibus, *Bohemiaque*
Regem lethiferâ ferit ſagittâ.
Expletur nec adhuc furor, ſed audax,
Heu audax nimium, petit ſuperbo
Noſtrum vulnere *Cæſarem*. Imminenti
Majori gemina hæc ducum periclô
Mors præluſit, vt anguium cruenta
Cædes, exitio tumentis Hydræ.
Nil lethale tamen poteſt ſereno
Trux fatum CAROLO; nec audet, impar
Tam magnæ invidiæ. Cadente tantâ

Fœdo tabifici furore morbi,
Salvo (CAROLE) Te, cohorte plebis,
Inter funera Principum potentum,
Quis curam neget esse Te deorum?

E. GRAY *ex Æd. Chr.*

QUæ blanda Angliacam Fortuna aspexerat Aulam,
Sive oblita sui, seu prodiga visa favoris,
Impatiens nescire vices; tandem ausa malignas
Ambitiosa suas tentare in Cæsare vires;
Et placuit sævo mandare pericula morbo,
Olim plebeiâ solito clarescere palmâ:
Quâ de cæde recens generosum provocat hostem,
A quo vel victus poterat sperare trophæum.
O satis! ô nimiùm stratum vidisse leonem!
Invenit pestis, quâ per compendia lædat,
Ingeniosa viam; populus violamur in Vno.
Invasit morbus caput, atque in principe (cujus
Depositum plebeia salus) meditatur acerbum
Et palmare nefas, quod vel sperâsse nefandum;
Decollare simul corpus commune Britannûm,
Quò vix Romulei spectârunt vota tyranni; —
Vt multæ populum damnaret noctis in umbram
Contentum minimâ. Nostras *Carolina* reviset
Stella, nec occiduâ subjectas lampade, terras.
Nam fata augustum Regis venerata cruorem,
Et facili & timido vibrârunt tela lacerto,
In solam valitura cutem: tam dura Sororum
Nulla genæ regnantis honos quin flecteret, etsi

Pyrrhæo

Pyrrhæo totæ riguissent marmore fibræ.
Sydereo CAROLI quamvis diademate cingi
Dignus apex, famæ tamen incrementa futuræ
Impediunt; nondum tanto rectore beata
Terra carere potest: puero sub principe regnum,
Quantumcunque bono miserum, timuisse juvabit:
Ipse pater niveos debent cui fata capillos
Convalet, inque vicem poscenti numina debet
Plura, suique avido solvet cum fœnore, cœlo?
Qui postquam multos fœlix numeraverit annos,
Cærula cognati scandet laquearia Olympi.

GERARD. LANGBAINE, *Art. Bac. Coll. Reg. alum:*

DEformat multos morbus, Tu gloria morbo,
Hostem dejectum miror habere decus:
Gloria sic hederæ Iovis est ascendere quercum,
Sic Aquilæ in tergo sydera musca petit.
Alta nimis morbus molitur hic; ambitionem
Quis negat? at cecidit; mirer? at altus erat.
Plaudite cum Gallis Britones, Germania Suevis,
Dum vivit CAROLUS, non Cynosura deest.

ED. AGL. è *Coll. Reg.*

HOrrida pestiferæ variata incendia febris,
Tot subitò magnos surripuisse viros
Non vltra querimur; certè Tibi, Maxime Cæsar,
Parcere qui potuit morbus, amicus erat:
Incubuit levis, ut sanus jam fortior esses.
Quod fatale alijs, fit medicina Tibi.

Vive

Vive diu, ſint & longæ tam grata ſenectæ —
Tempora, jam vires quàm renovâſſe fuit.

FVneribus Regum ornârat mors atra triumphum,
Et ferrugineis celſior ibat equis:
Terruit ægroti CAROLI cum fama Britannos,
Et morbi triſtes invaluere minæ:
Vota Britannorum, tenerique infantia nati,
Exorare truces ſed potuere Deas.
Dat morbus, Rex, amplecti tua viſcera poſſes:
Lætior, & populo carior eſſe Tuo.
Vive, nec æterna accipiat monimenta Tuarum
Virtutum, ſed Te Filius ipſe legat.

R. A. è *Coll.*
Magd. Bac.

PVſtula cùm parcit divino frontis honori,
Et vultus metuit contemerare Tuos;
Cùmque ſub occulto geſtit latitare, timore
Oſtendit numen, CAROLE Magne, tuum.
Divinum meritò Te credimus inclyte Princeps;
Quem morbi agnoſcunt, quis neget eſſe Deum?

ED. HOLT *ex*
Æd. Chriſt.

TVrgida quid Regem vexaret puſtula? fiunt
Languores Domini, qui fuerant populi?

Hic ſordes morbus tetras, ſaniemque repurgat,
In Regis nuſquàm corpore marcor erat:
Qui populum occidit, tetigit Te, Carole, morbus,
Mortalem voluit te meminiſſe Deus.

Cotton Gargraue.

NOn prius ægrotus percuſſit Carolus Anglos,
Iiſdem quin ſalvus pectora læta daret.
Sic in rege ſuo redivivis vna Britannis
Eripuit vitam fama, ſimulque dedit.
Sic ſemper noſtro parcatis, Fata, dolori:
Principis & ſerâ fila ſecate manu.

I. Wrench. C. C. C.

NOn tot dolores, mors ſuperba, gentium,
Non tot ſagittas Principum ſatiat tuas
Numeroſa ſtrages? quin Britannorum paras
Inficere papulis regis invicti jubar?
Puro quis ullas terreæ fæcis videt
In Sole maculas? Aerem ſpiſſi halitûs
Volumina nigrant, Luna ſordeſcit luto:
Sic cadere poterit hoſtis inferior, nimis
Syderea capita Principes geſtant, ut hos
Pereant per ictus: luminis tanti decor
Contaminari neſcit. In Carolo irritus
Parcas fatigat livor, auguſtæ luem
Nitore frontis (præpete remedio) expulit,
Non labe paſſus Angliæ involvi diem:
Timidus laceſſit terga, diffidit ſibi,
Metumque prodit morbus, ac illic tumet,

Vbi

Vbi ſacra vitet ora, ſit propior fugæ:
Sed & inde pellitur; Carolus atrum fugat,
Dum terga vertit, hoſtem. Et æternâ, precor,
Virtute fuget, enumeret & *Pylij* ſenis
Æva, & Triones ſerus aſcendat ſuos.

Guil. Clarke.
ex Æd. Chr.

SAcri Numinis ô ſagax ocellus!
Proſpexit ſobolem nimis tenellam
Magni Regis adhuc, manuſque parvas
Non poſſe imperij tenere ſceptra:
Hinc mortem Carolo negat potenti,
Regem tàm citò nec ſinit perire.
Exanthemata corpus iſta ſolùm
Purum ſpurcitie, ſituque reddunt;
Tàm fœlix animus, pius, beatus,
Fœdo in corpore non poteſt ineſſe,

Tho. Hoskins
ex Æd. Chr.

VEl ipſa pietas Carolo noſtro nocet,
Et cura populi: ſic gregis ſcabiem ſui
Fert ipſe paſtor, dum nimis medicâ manu
Succurrit ægris ovibus, haud potuit lues
Innata purum Caroli corpus putri
Fœdare tabe; temperamento ſacræ
Carnis nec inerat minima, quæ morbum queat
Fovere, ſordes; nullus his venis cruor

Fœdus natabat. Morbidi Regem petit
Squalor popelli; noſtra contages ferit
Regale tergum, at ora veneratur ſacra,
Neſcitque Solem nube tàm clarum ſuâ
Obtegere. Diſcat, CAROLE, popellus Tuus
Ex morbo honorem debitum Regi dare.

GUIL. BORLASEVS *Eq. Aur. fil. ex Æd. Chriſt.*

Salus in CAROLO *tribus regnis reſtituta.*

DIra Tuos dudum peſtis deſtruxerat Anglos
CAROLE, ſed cæcam dignata vetare ſagittam
Numina, & in lætos gemitum mutare triumphos:
Invaſit peſtis miſeros atrocior Anglos,
Nec jam contenta eſt niſi cunctos perdat in vno;
Ergò Britannorum petijt cor: proſpicit illis
Æternus Pater, atque omnes Te ſoſpite ſalvos
Fecit; & hæc quæ viſa queri Quo CAROLE vadis?
Tàm citò cur commiſſa Tibi tot regna patrono
Deſeris? Et cœlis quam terræ charior, illos
Præproperè petis? Hæc eadem grateſque preceſque
Fundit, Ovans iterumque Redux, O mens mea! ſalve
Inquit, & O longum dominare in regna ſuperſtes
De noſtris annis Tibi Iupiter *augeat annos.*

HEN. WILLET *Art. Mag. Coll. Exon. Socius.*

I Doe confeſſe the over-forward tongue
Of publick duty turnes into a wrong,
And after-Ages, which could ne're conceiue
Our happy CHARLES *ſo fraile as to receiue*
Such a diſeaſe, will know it by the Noyſe
Which we haue made, in ſhouting forth our Ioyes;
And our informing-duty onely be
A well-meant ſpight, or loyall injury.
Let then the name be alter'd, let us ſay
They were ſmall Starres fixt in a Milky way;—
Or faithfull Turquoiſes, which Heaven ſent —
For a diſcovery, not a puniſhment;
To ſhew the ill, not make it; and to tell
By their paile lookes, the Bearer was not well.
Let the diſeaſe forgotten be, but may
The Ioy returne, as yearely, as the day.
Let there be new Computes, let reckoning be
Solemnely made from His Recovery:
Let not the Kingdomes Acts hereafter runne
From his (though happy) Coronation,
But from his Health, as in a better ſtraine;
That plac'd Him in his Throne, this makes Him Raigne.

W. CARTVVRIGHT. *Ch. Ch.*

THankes for this great deliverance, ſay you;
Where was the danger? Princes bloods 'tis true
Are ſomewhat bad abroad: but here are ſmall
Symptomes of perill, where a Pimple's all,
And that not the diſcharge of Nature; no

Eruption of ill Humours (who thinkes ſo
That truly weighs the Kings ſobriety?)
But ſome ſmall Starres to ſhew him Heavenly
Good; let this paſſe for currant among vs;
Even Heaven it ſelfe would haue vs flatter thus.
For why, thinke you, would God haue touch't him ſo
Inſenſibly, as not to let him know
Either by Paine, that comming out they were;
Or by the Markes, that they were ever there;
But that it knew 'tis mortall to ſome Kings
To thinke they haue beene ſick; that that thought brings
With it ſo ſad an apprehenſion,
That their Eſcapes kill by reflexion,
To thinke how neere the pit their ſtate hath bin,
How on the brim it ſtood, quite throwes them in.
The thought [all might haue periſht] ſtrikes them dead;
Thus Scepters knock their Princes on the Head.
In ſuch a caſe to thinke how all might goe
To a confuſion, had made it ſo.
But all was carried cloſe; and certainly
The Queene *was deepe in this conſpiracy.*
The King *muſt be ſecure; not dreame of harme;*
And therefore ſhee continues in his arme;
No; ther's no danger in't: ſo bold Loue was,
His gratious Eye was all her looking-glaſſe.
O venterous Face; in thee I ſaw before
Thouſands of wonders, now I ſee one more.

IER. TERRENT Art. Mag.
ex Æd. Chr.

Though

THough we triumph, and that our Muſe doth ſing
Thy health & ſafety, CHARLES, our now ſound King,
Telling the mercy of the ſtroke, ſo ſent
That to Thee even that Diſeaſe was innocent,
Wee doe not in this feaſt of joy forget
All that is paſt, but doe admire ev'n yet
That hardy Shee, who by Thy ſide did ſit
Daring to viſit and converſe with it
With feareleſſe touches, Though it ſhould convey
Ev'n mortall ſpight by ſuch a tempting way.
Though Shee beheld in many a pityed face
Thoſe hatefull pits and furrowes of its trace,
What pummices it leaues of Cheek and Lip
Beyond all cure of female workmanſhip,
Although the Doctors doe confirme, and ſay,
What danger's in't, and reaſon her away;
Though Thou with equall loue excuſe from thence
Such ſweet but moſt deſtructiue diligence;
Nay though the Ladies and the Maides complaine
That then Thou wer't a dreadfull Soveraigne.
Well may wee yeeld beleefe, when ſtories tell —
The loues of meaner wedlocks, ſuch as dwell
Cloſe and unſever'd thorough each degree
Of death, of priſon, and captivity,
Such leſſer ills, while wee a Queene doe ſee
Which did not feare to be deform'd by Thee.

T. LOCKEY M.Art.
ex Æd. Chriſt.

Quæ

QUæ toties orbaſque domos vicoſque peregit,
Innumeras lætho ſtravit & exequias,
Quæ parcens pejùs ſævit, pro corpore linquens
Vlcus, quæ toties abſtulit ora lues,
En Tibi furtivos à tergo vix dedit ictus,
Et ſacra vix lambit pectora plaga levis.
O quantum placuiſti! vt cœlo es, CAROLE, cordi!
Si dum cædit amat, ſi Tibi & ira favet.

HEN. KILLIGREW *ex Ed. Chr.*

DIſcedant avidi myſteria vana *Galeni*,
Et populo illudant. Veſter nam, CAROLE, morbus
Ipſe ſibi medicus. Te afflatu ſanat eodem,
Quo læſit; nec miranda eſt clementia Fati,
Hoc amor, officiumque fuit: ſacra viſcera plena,
Luſtravit pietas, & quæ paritura futurum
Languorem extruſit. Subito cum fulgure acerbæ
Illuſtrant gemmæ corpus, numeruſque renidet
Penè impar regnis. Nullam ſibi morbus in illo
Materiam invenit: ſolùm præcordia ſancta
Iuſtitia, & pietas, & mixto gratia zelo
Incolit, & gladium comitans clementia ſtrictum,
Et virtus quæcunque alia eſt Te Principe digna.
Sint hæc vnanimis tandem conſortia voti,
CAROLUS vt vivat plenos diffuſus in annos;
Ingentemque ævi ſeriem, videatque tenellum,
Carolidem æquantem veſtigia fida parentis.

RICH. FOCGE.

Muſæ Typographicæ Epiphonema ad Regem.

POſt tot ab emerito ſudantia carmina prælo,
Extremum fas ſit noſtra tenere locum;
Et quæ ſum toties alijs famulata locutis,
Si tandem proprio me decet ore loqui,
Accipe quæ dictat noſter non vltimus ardor,
Lætitiâ partes qui ſtimulante ſuas
Impiger implevit: nec enim vel digniùs vnquam,
Fervidiuſvè operas incaluiſſe puto.
Sanato ſenſi renovatum in Rege vigorem;
Sic domina eſt noſtræ *Cæſaris* vna ſalus.
Admiſi forſan maculas properantior, auſa eſt
Nulla licet vultus dedecorare tuos:
Sed facilis veniam concedes, grata litura
Quæ faciet palmæ te meminiſſe tuæ.

G. TURNER.

OHe jam Satis eſt Libelle, Tanto
Noli tædia Principi creare.
Ad curas rapitur ſeveriores,
Et Regnum vocat, & Salus Popelli,
Cui plus quàm Propriæ ſolet vacare.
Si vultu excipiat ſereniore,
Si te vel gremio, manuvè ſumat,
Jam plus quàm ſatis; Impudens haberi
Ni malis Liber, exi in umbilicum.
Sed Votis locus eſt tuis relictus,
His ſaltem ἐφαλοχώλιον tumeſcat,
Et qui Flevimus ante, Nunc Colamus.
Sic ſeros tibi largiantur Annos
Fœti ſtamina leniora Fuſi.
Sic vno CAROLUS *minor Parente*
Oſtendat ſimiles Tibi Nepotes,
Et tandem Solium Senex capeſſat.
Sic fœlicior, invidente Fato,

Hos

Hos nunquam Toga ſentiat labores,
Nec Talem Tibi conſecret Libellum.

Sic vovet BRIANUS DUPPA,
Acad. Vicecan.

FINIS.

BIBLIOTHECA

OXONIÆ,
Excudebant *I. L. G. T. Celeberrimæ Academiæ Typographi:*
M. DC. XXXIII.